



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

V. Opportunitates Perfectionis adipiscendæ à Deo hominibus plurimas
offerri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

ne peccandi occasiones amoliat, libidinis impetus frangat, demonis artes detegat, illecebras sæculi comprimant, passionum atque affectionum vim coerceat, tentationum molestias propulset, illustrationes diuinitus immittat, animum ardentibus desideriis incendat, labilem voluntatem firmet, occasiones exercendæ augendæque virtutis præbeat, certum exploratumque est, nos in PERFLECTIONIS studio exiguos progressus, aut etiam nullos, esse facturos.

CAP. V.

Opportunitates PERFLECTIONIS adipiscendæ à Deo hominibus plurimas offerri.

*Deus auctor est nostrorum operum.
Isaia 26.
1. Cor. 12.*

*Tit. 2.
Deus vult omnes esse perfectos.*

DEo ergo concedendum est, (atque ideo ipsi plurimum obstricti sumus) quod operetur opera nostra, quod omnia operetur in omnibus: hoc est, quod potissima sit pars ac causa operationis PERFLECTIONISQUE nostræ. Attamen fidelium omnium collectio non haberet unde tantopere hanc gratiam extolleret, si pauculis Deus eam esse communicatam vellet, nullumque propensæ voluntatis suæ erga PERFLECTIONEM nostram argumentum edidisset. Verum apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: & se idipsum optare infinitis argumentis testari non desinit: quod ad excitandos ad

dos ad studium PERFECTIIONIS veros Dei cul- *Obedientia*
tores momenti deberet habere plurimum. So- *perfecta*
lent enim subditi Regis sui non dico mādatum, *Symbolum.*
sed vel nutum ac propensionem tanti facere, vt
subinde in euidentia vitæ pericula ruere non re-
formident : quod sacris profanisque litteris ex-
ploratissimum est. Dauid optauit aquam de ci-
sterna quæ adhærebat portis Bethlehemiticis:
quo loco statio erat Philistinorum : nec cui-
quam adferre mandauit: sed in præsidio existens
sitibundus in has voces erupit : *2. Reg. 23.*
O si quis mihi da-
ret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta
portam ! Quo dicto, irruerunt tres fortes castra
Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna, & at-
tulerunt ad Dauid. Vnicum Principis desiderium
hoc fecit.

Cum Scipionis Africani virtutem in rebus
bellicis ac felicitatem multi mirarentur : quod-
que paucis militibus ardua quæque supera-
ret : *Plutar-*
chus de sci-
te dictis
Regum ac
Imperato-
rum.
In vita Ti-
berij &
Caij Grac-
chi.
Cic. lib de
amicitijs.
Quid mirum ? inquit ipse Scipio : nullus è
toto numero militum est, qui paratissimus non sit ad
solius vocis meæ sonum in mare sese dare præcipitem.
Non inferioris obseruantiaæ argumētum, quod
de C. Blofio Cumano narrat Plutarchus : In tu-
mutu enim ciuili, post Reges extinctos, Tiberius
legem Agrariam ferre ausus, a nobilitate, quæ id passa
non est, trucidatus est. Post eius mortem Blofius appella-
tus, ductusque ad Consules, quod legem promul-
gasset, respondit, se Tiberi iussu, viri prudentis, populi
& Reipublicæ studiosissimi, fecisse. Ad hæc Consul Na-
sica : Quid si Capitolium incendere iussisset ? an
id quoque fecisses ? Numquam iussisset hoc, inquit : sed,
D 2 si ius-

si iussisset, paruisssem: nam pro utilitate populi Romani, nec aliter unquam erat iussurus. Magna vis est obsequantiae subditi generosi in Ducem: quæ cæco animo in omnia, ne iussa quidem, nec satis explorata ratione, sola virtutis ac fidei nixa opinione, ruit ac præcipitat.

Luc. 16.

2. Enimvero filij huius seculi prudentiores filius lucis in generatione sua sunt. Deus omnia potens, fidelissimus in promissis, inuitat nos ad sui obsequium, promittit regnum, thronos, coronas, gloriam, ac beatitudinem, auxilia ad illa consequenda: mandat ut paucula mandata seruemus: nobis minatur sub interminatione æterni incendij, ni pareamus: & tamen pauci parent. Inuitat homines ad PERFECTIONIS solatia, voluptatem, securitatem: & vix vlli, non dico sequitur, sed ne vix quidem audiunt: & si qui audiunt, capere nolunt. Clamat, *Qui potest capere, capiat*: multisque auxilium præstat ut capiant: nec capiunt tamen, nec capere volunt.

Matt. 19.

Indicia volu-
tatis di-
uina, quo
ad Perfe-
ctionem no-
stram, in
scripturis
expressa.

3. Non mandat quidem Deus sub poena amittendæ suæ amicitiae alia, quam quæ præcepit ad salutem necessaria: consulit tamen viam excellentiorem, nihilque illi est optatius, quam ut omnes contendant & currant, brauium accepturi, quod Deus reddet unicuique secundum opera sua: idque tot Scripturæ testimoniis inculcat, ut cæci simus, si non videamus: surdi, si non audiamus. Noe placuit Deo pæne solus ante diluuium: quia *vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, & cum Deo ambulauit*. Ille certe familiaris Principi est, qui cum eo ambulat: & si Prin-

Genes. 6.

ceps

ceps sapiens est, debet & ille esse, quem ipse Princeps in familiaritatem suam admittit. Talem Deus habere quoque voluit Abrahamum, cui dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus: ponamque fœdus meum inter me & te; & multiplicabo te vehementer nimis.* PERFECTIO enim in amicitia Dei fundamentum est omnium bonorum, & spiritualium, & temporalium, quæ ex inde cœlitus veniunt. Hortatur quoque Iosue, diuino actus Spiritu, filios Israel: *Timete Dominum, & seruite ei*

Gen. 17.

Iosue 24.

Psal. 17.

perfecto corde atque verissimo. Regius quoque Prophetæ sibi gratulatur, quod Deus perfecit sibi

pedes tamquam ceruorum, & super excelsa deduxerit. Cerui enim inter animalia nobilissimi sunt: habitant solitarij: vagantur in montibus:

fortissimis cornuum ramis non tam onusti, quàm ornati: eorum carnes eduntur præne solis Principum & nobilium mensis: celerrimi sunt ad

cursum & saltum. Hæc perfectis conueniunt, qui ideo perfectissimi, quod ex Deo nati mundum spernunt ac fugiunt, Deoque familiares

sunt: in excelso montium contemplationis versantur: contra hostium generis humani machinas virtutum robore fortissime dimicant: feruentissime currunt, vt cælum rapiant: eoque saliunt animo momentis singulis, & ad ardua quæ

que adnuntur; & quem admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderant ad Deum

fortem viuum. *Psal. 41.*

4. Nec tantum Deus prodere voluit sibi gratum esse PERFECTIOIS nostræ studium; sed etiam efficacissimis verbis nos inuitat ad illam capess-

Deus ad studium Perfectiois nos inuitat.

Prou. 1.

pestendam ac sectandam. Sapia (ait Salomon) foris predicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbus profert verba sua, dicens: Usquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quae sibi sunt noxia cupient, & imprudentes

Prou. 8.

odibunt scientiam? & alibi: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Mecum sunt diuitia & gloria, opes superba & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso, & gemina mea argento electo. Qui ergo inuitat, Sapientia est omnes autem inuitat: nam locis illis id denuntiat, quibus oēs homines conueniunt: Res praeclaras pponit: denique magna praemia promittit.

Consilia

ad Perfe-

ctiorem spe-

ctantia in

veteri te-

stamento

insinuata.

Isaia 56.

5. Et haec quidem inuitatio generalis est. Descendit & Deus ad particularia consilia, quae tamen magis nouae quam veteris Legis temporibus conueniunt. Non dicat (ait Isaias) Eunuchus, Ecce ego lignum aridum: quia haec dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quae ego volui, & tenuerint foedus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Inuitat his verbis Dominus ad continentiam voluntariam, metaphora sumpta ab Eunuchis, qui impotentes sunt ad generandum ideo continentes arido ligno merito comparantur: impotentia enim illa non a natura, sed a voluntate prouenit, vt ex his verbis, Elegerint

qua

qua ego volui, colligit D. Hieronymus. Promittitur autem nomen melius à filiis & filiabus: *In hunc locum.*

quod Hebraica versio sonat, præ filiis & filiabus aliquid melius quam erunt filij & filia: aut, iuxta Septuaginta dabo illis, qui carebunt liberis, aliquid melius, quam sit habere liberos: ut interpretantur Diuus Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Basilus, Ambrosius, Gregorius, qui docent Deum nos excitare ad continentiam amorem, propositis iis præmiis iam commencum.

moratis. Addit Diuus Augustinus peracute: *Lib. de vera virgin.*

quod si quis contendat Isaiam loqui de veris Eunuchis, qui se continent, quia aliter non possunt: & illis promittitur maior gloria, quam *In exhortat. ad vir.*

iustis coniugatis: certe maiore ratione promittitur iis qui se continebunt, etsi possent non continere. promittitur ergo nomen æternum: quod *In 3. p. Past. c. 29.*

fic exponit Diuus Augustinus: *Lib. de sancta virg. c. 25.*

Quid tergiuersaris impia cecitas? quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis? Nomen æternum dabo eis. Et si forte hoc ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, incalco nec unquam deerit. Quid quæris amplius? Æternum hoc nomen, quidquid illud est. spædonibus Dei. quod utique gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno & in eadem domo constitutis. Num ideo fortasse & nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguat à cæteris? Hæc Augustinus. Idem Sapiens prædixit, sed longe speciosioribus verbis. Felix (ait) est sterilis: & incoquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione *Sap. 3.*

animarum sanctarum, & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum (donum quoddam singulare, respondens fidei ipsius) & fors in Templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quae non concidet radix sapientiae.

Formula
ac norma
vita perfe-
ctae à Chri-
sto institu-
ta.

Rom. 8.

Matt. 19.

Bona tri-
plicis gene-
ris dimittuntur cō-
filiorum
professione.
Paupertas
primum

6. Verum ne in re adeo difficili, incognita, ardua que deficeremus, nescientes qui fieri id posset, cum praxis fere nulla ab orbe condito visa fuerit: per Filium suum formam statumque vitae perfectioris instituere dignatus est, collecta paruula discipulorum manu, quibus & primitias Spiritus cōtulit, & summam ab eis PERFECTIONEM exegit: nimirum omnia temporalia desererent; animo & corpore perpetuo continerent; animā denique, hoc est, voluntatem ac iudicium, Superioris Dei que vicarij arbitrio subicerent, quod vno verbo D. Petrus exprimit; *Ecce (ait) nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Tria enim sunt hominis bona; alia fortunæ, alia corporis, alia animi; quibus homo se priuat, vel etiam exonerat, vt expeditus Ducem suum in expeditione militiæ perfectioris sequatur. Nihil ergo homini superest, qui hæc omnia reliquit. His tribus respondent tria status perfectioris consilia ac fundamenta, quibus triplicia illa bona tamquam onera excutiuntur, & eis ex diametro repugnant, Paupertas nempe, Castitas, & Obedientia. Christus igitur studiosis PERFECTIONIS has virtutes proposuit, & etiamnum proponit; & quidem Paupertatem; *Si vis per-*

perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes. Id ipsum fecerunt omnes Apostoli; alij nauim & retia, alij domum, alij alia; deniq; nihil retinuerunt. Nec tantum Apostoli sua reliquerunt, repetituri cū vellent, aut retenta potestate alia possidendi; nō ita, sed multa dedit, (ait Gregorius) qui nihil retinuit, & longe plura, qui habendi voluntatem deposuit. Verum ille quam plurima & omnia dat, qui voto nuncupato potestatem quippiam habendi præscindit & amputat; quod Augustinus docet Apostolos fecisse, cum exponit, quomodo Petrus, qui paucissima habebat, omnia tamen se reliquisse confidenter assererat, *Ecce nos reliquimus omnia*. Sed votum illud magis ex Actis Apostolorum & praxi huius instituti colligunt Patres. *Multitudinis* (ait Lucas) *credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Quod clarius patet ex interitu Ananiæ & Saphiræ, qui communem hanc vitam vouerant, vt ex verbis S. Lucæ satis elucet, *Fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua, Ananias; non enim fraudasse diceretur, nisi rem obligatam promissione surripuisset*. Deinde dixit D. Petrus: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Quid est mentiri Spiritui sancto, nisi fallere fidem datam Spiritui sancto? Nec proprie dicti fuissent mentiri Spiritui Sancto quia Petro mentiti erant, in quo erat Spiritus sanctus; (quamquam & id aliquo modo dici posset) sed pœna sublecuta aliquid maius fuisse indicat, quam reatum*

D 5 men-

consiliorū à
Christo in-
ductum.

Matth. 19

Greg. hom.

Aug. epist.

34.

Votū Pau-

peratis ex

Scripturis

educitur.

Act. 4.

Act. 5.

mendacij, auaritiæ, ambitionis, aut hypocrifis. Fuisse vero voti violati sacrilegium, diserte te-

Homil. 12. in Acta A- post. Epist. ad Demetriad 2. Serm 27. de verbis Apost. & sermone 10. alias 12. Epist. 1. de debito con- iug. ca. 8. Lib. 1. ep. 33. In Act. Apost. stantur D. Chrysostomus & Hieronymus. Au- gustinus quoque, *Si Deo, ait, displicuit deerrahere de pecunia quam vouerant Deo, (nempe Ananias & Saphira) quomodo irascitur quãdo vouetur castitas & non exhibetur ! Idem docet Fulgentius, & alij Pa- tres. Gregorius ad Venantium ita scribit : Ana- nias Deo pecunias vouerat, quas postea victus per suasio- ne diaboli subtrahit : sed qua morte multatus est, scis. Denique Arator.*

————— Sed quod mutata voluntas

Falsi crimen habet: cumque est iam cautio voti, Stare decet, nec velle prius violare sequenti.

Ius proprium retinere magis quam demere fas est.

Omnibus exemplum sauxit vindicta duorum, Ne quis dona vocet, qua sponsio debita poscit.

Hæc de Paupertate.

Castitatis votum. Luc. 14. Matt. 19. Hæresis 58. In hunc lo- cum. Lib. de san. virg. Obedientia votum. Matt. 16. 7. Omnes vero, quotquot habebant, vxores deseruerunt: quod ex eo colligitur : *Si quis (ait Christus) venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, non potest meus esse discipulus. Et: Sunt Eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum cœlorum : qui potest capere, capiat. Castrauerant ergo se voto Castitatis discipuli: nam solo voto facultas contrahendi matrimo- nium tollitur ac præscinditur. Ita Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, & alii Patres hunc locum interpretantur. Tertia, Obedientia est, quam Christus his verbis comprehendit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Perfecta abnegatio sui,**

fui, perfecta Obedientia est: sed perpetua esse debet, idcirco votum accedat necesse est, ac spiritualis quædam crucifixio, ne valeat resilire. Tollat, ait, crucem suam; nam, vt Cassianus eleganter, *Verus & perfectus Monachus similis Crucifixo esse debet: qui enim cruci affixus est, non solum non ambulat quo vult, nec facit quod vult, sed nec potest ambulare aut operari, nisi ab alio moueatur.* Idem Augustinus confirmat, *Nemo (ait) positus in Monasterio dicat, Recedo de Monasterio: neque enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum: & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Responderetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti.*

Lib. 4. de institutione Cœnob. sine remun. ca. 35. In Ps. 75.

8. Constat igitur institutionem hanc à Deo promanare; illique magna præmia promitti, qui sequentur. *Quæ? Habebis (ait) thesaurum in cælo.* Deinde, *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Centuplum accipiet in hoc sæculo, denique vitam æternam. Hinc D. Hieronymus, *Proponit à γάμο-θέραις præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat, & bibat: Qui potest capere, capiat.*

Præmia proposita Perfectionis studio. Matth. 19.

Lib. 1. cont. Iovin. Ioan. 7. Matth. 19.

9. Verū Deus sapientissimus sapientissima ratione PERFECTIIONIS instrumenta delegit. Cum enim in caritate viatorum PERFECTIO consistat, & per has virtutes, Paupertatem nempe, Castitatem, & Obedientiam, diuini amoris omnia impedimenta remoueantur, ea nobis

Consilia hæc tria, instrumenta Perfectionis, cur à Deo deligantur.

nobis

1. Tim. 6.
Serm. 12. de
verb. Do-
mini.
1. Ioan 2.

nobis vt aptissima atque vtilissima ad PERFECTI-
TIONEM acquirendam præsidia constituit. *Ra-*
dix enim omnium malorum est cupiditas : quemad-
modum *radix omnium bonorum* , Augustino au-
ctore, *caritas est*. Omnis autem malorum cupi-
ditas ad tria capita reuocatur, Luxuriam, Auari-
tiam, & Superbiam: *quoniam omne quod est in mun-*
do, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculo-
rum, & superbia vitæ. Est enim in homine duplex
appetitus : quorum alter concupiscibilis, alter
irascibilis. Sed & concupiscibilis appetitus du-
plex est: alius naturalis, alius animalis. Naturalis
appetit ea bona quæ sunt necessaria ad naturam
conseruandam, tam in indiuiduo, vt cibum &
potum: quam in specie, qualis est actus genera-
tionis: & hic appetitus, cum est inordinatus, di-
citur incontinentia, & à D. Ioanne *concupiscentia*
carnis. Animalis vero dicitur ille, quo appetimus
ea quæ sunt bona secundum æstimationem, vt
pecunias, vestes, tapetes pretiosos, & id genus
alia, quæ non appetuntur à bestiis, quibus non
est appetitus, nisi naturalis: & hic appetitus, cum
est inordinatus, dicitur auaritia, vel cupiditas; à
Ioanne vero *concupiscentia oculorum*. Denique ap-
petitus irascibilis appetit excellentiam, quæ ap-
prehenditur vt res maxime ardua: & cum est in-
ordinatus, dicitur à Ioanne *superbia vitæ*. Hos
igitur tres fontes impedimentorum obstruunt
tres illæ virtutes; concupiscentiam carnis,
Continentia: concupiscentiam oculorum,
Paupertas voluntaria: superbiam vitæ, Obe-
dientia.

10. At

10. At praxin exempla que nunc requirimus. *Perfectio-*
 Eius profecto adumbrationem videre est in Le- *nis primi*
 ge naturæ ante diluuium : maiorem deinde ex- *magistri*
 pressionem in Lege Moyſis : PERFECTIO vero *ex exem-*
 huius status, & vsus vulgaris, ab Apostolorum *pla ex Lege*
 temporibus petendus est. Et quidem mundi *nature scri*
 initio de Enos dicitur : *Iste cœpit inuocare nomen* *ua desumi-*
Domini. Ex quo loco colligunt Doctores, hunc *pta.*
 Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, *1. Enos.*
 & sublimiorem quam esset religio vulgi. Ante *Gen. 4.*
 ipsum namq; etiam Adam, Abel, & Seth Deum
 inuocauerunt ; & tamen dicitur primus cœpif-
 se inuocare nomen Domini. Nazaræi deinde, *2. Nazaræi*
 nuncupatis votis, se ipsos Domino consecra- *Num. 6.*
 bant : ad quorum exemplum Origenes etiam *Hom. II. in*
 in Ecclesia quosdam se ipsos totos diuino cultui *Leuit.*
 deuouere solitos scribit. Elias quoque & Eli- *3. Elias &*
 seus sine vxoribus & diuitiis, vt & filij quoque *Eliseus.*
 Prophetarum, vixerunt. De his ita Hierony- *Epist. 13. ad*
 mus : *Noster (ait) princeps Elias, noster Eliseus, nostri Paulin.*
duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris &
solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluē-
ta Iordanis. Hæc ille, & plura scribens ad Rusti-
 cum. Extat & apud Ieremiam insignis com- *Epist. 4.*
 mendatio nepotum Rechab, qui cum eis pater, *Ierem. 35.*
 seu auus, præcepisset vt domos non ædificarēt, *4. Filij Re-*
 agros non seminarent, vineas non plantarent, *chab.*
 vinum numquam biberent, vitam durissimam
 quasi extra mundum agerent, omnia diligentif-
 sime obseruarunt : quos etiam Monachorum
 nostrorum figuram gessisse scribit quoque Hie-
 ronymus. Ioannes Baptista vt officio, sic sancti-
 tate

Paulin. 5. tate ac PERFECTIOME omnes antecelluit. Satis
Ioannes Ba id sit, quod de eo Sapientia diuina pronunciauit
prista. Mat Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Ba-
xi. 6 Maria *prista.* Sed pratermitti nō debet Dei mater, qua
Christi ma ante prolis conceptionem virginitatis voto se se
ter voto ob obstrinxerat: audito enim nuntio concipiendae
stricta. prolis, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam vi-*
Luc. 1. *rum non cognosco?* Si enim voto non erat ligata,
 Angelus replicare poterat: Tu maritum habes,
 & adhuc iuuenula: quod iam actu non cogno-
 scas, quid mirum? si enim iam non cognoscis, co-
 nosces postea. Si ergo dicere velit se actu non
 cognoscere: inepta videtur esse interrogatio. I-
 dem est ergo, ac si dicat quispiam in Quadrage-
 sima, Non vescor ouis aut carnibus: id est, mihi
 vesci non licet. Ita B. Virgo ait, *Virum non cognosco*
 Prohibeor cognoscere. Qua lege? diuina an
 humana? neutra sane, imo lege naturali iubetur
 vitio reddere debitum. Non erat etiam impo-
 tens, aut sterilis, alioqui eam rationem attulisset:
 nec aetatem generationi aptam excefferat.
 Qua lege ergo virum cognoscere non potes: nō
 communi: relinquitur ergo id fieri lege parti-
 culari voti, qua Deo se se obstrinxerat. Ita Gre-
 gorius Nyssenus late in oratione de natiuitate
 Domini, Augustinus, Beda, Anselmus, Ru-
 pertus, Bernardus. Iam ad Apostolos veniamus
 qui post Christi ascensionem formam illam,
 quam à Christo acceperant, mundo inuexerunt,
 & vbiq; gentium impressam reliquerunt. Constat ex Actis,
 Omnes etiam, ait Lucas, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia com-
 munita

Lib. de san.
virg. ca. 4.
In c. 1. Luc.
De excel.
virg. ca. 4.
Lib. 3. in
Cant.
Serm. 4.
sup. Missus.

munia: possessiones & substantias vendebant & diuide- ^{7. Apostoli}
 bant illa omnibus, prout cuique opus erat. Viuebant ^{Act. 2.}
 ergo in communi, & Paupertatem volunta- ^{Act. 4.}
 riam profitebantur. Addit: Neque quisquam egens
 erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum
 aut domorum erant, vendentes aſerebant pretia eo-
 rum qua vendebant, & ponebant ante pedes Apostolo-
 rum diuidebatur autem singulis prout cuique opus e-
 rat. Hæc sunt incunabula vitæ perfectioris, quæ
 sensim adoleuerunt, & in ætatem perfectam de-
 ducta eam formam splendoremque acceperunt
 quem videmus spargi tot iam sæculis per or-
 bem vniuersum, auctore Deo, qui Antonios,
 Basilios, Benedictos, & postea Bernardos,
 Franciscos, Dominicos, & ad hæc vsque tempo-
 ra semper nouos excitauit: qui tamquam boni
 magistri, discipulis quam plurimis PERFECTIO-
 NIS regulam & exemplo proponerent, & insti-
 tuto firmarent.

II. Extiterunt quoque illustres vocationes ad ^{Vocationes}
 sectandam viam perfectiorem: & in primis A- ^{miraculosa}
 brahami, qui pater fidei deinde appellatus, ius- ^{ad studium}
 sus est patriam deserere, eique dixit Domi- ^{Perfectio-}
 nus: Egrede de terra tua, & de cognatione tua, ^{nis,}
 & de domo patris tui, & veni in terram quam monstra ^{Abraham.}
 bo tibi. Sed quid, quod vnicum filium, spem suæ ^{Gen. 12.}
 familiæ, quem susceperat effœtis & suis & vxo- ^{Gen. 22.}
 ris viribus, immolare atque interficere iussus,
 vocanti paruit? Magnæ PERFECTIIONIS fuit
 patriam deseruisse: maioris certe, filium, & ta-
 lem filium, secare in partes, Deoque immo-
 lare. Alia vocatio est Ioannis Baptistæ in vtero
 existen

- Ioannis Baptistæ.*
Ierem. I. existentis, cui merito hæc Ieremiæ verba congruere videntur: Priusquam te formarem in utero, noui te; & antequam exires de vulua, sanctificauit te & Prophetam in gentibus dedi te. & quæ Propheta Isaias de seipso: Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris mei recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum. Christus enim ex utero matris suæ Ioannem in utero Elisabeth proprio appellauit nomine. Sensit ac cognouit Ioannes Christum Redemptorē suum vocantē, donatus nimirum ante tempus vsu rationis? & ad iustificationem cito quidem, sed vere sese disposuit: id enim significant verba illa, *Exultauit in gaudio infans*; gaudium enim est animi excitatio, proueniens ex apprehensione boni præsentis. Apprehendit Ioannes Redemptorem suum esse præsentem, audiuit vocantem; repletus est Spiritu sancto, exultauit; non instar emotæ mentis, sed in gaudio: vnde vocanti se, & ad statum præcursoris ac prædicatoris perfectissimum deputanti, respondit: *A, a, a, Domine Deus; ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Et Dominus ad eum: *Noli dicere, Puer sum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & vniuersa, quæcumque mandauero tibi loqueris.* Cognouit id eius mater Elisabeth, quæ, repleta Spiritu sancto, secreta uteri sui detexit, dicens *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.* Et pater filium recens natum intelligentem (ut testatur Origenes) allocutus est: *Tu puer, Propheta altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius* Quot in hac vocatione-
- Luc. I.*
Ierem. I.
Luc. I.
Hom. 7. & 10 in Lucā.
Luc. I.

tionem miracula ! Profecto sanctitas & PERFECTIO viri subsecuta vocationem prodigiosam probauit, & vero PERFECTIIONIS eminentia eidem respondit. Hæc omnia prolixè Chryso-
 stomus & Ambrosius in Lucam. Sequuntur voca-
 tiones Apostolorum admirandæ, cum duode-
 cim quidem, quæ immediate à filio Dei factæ
 sunt; tum vero maxime B. Pauli, quæ adeo effi-
 cax atque admiranda fuit, vt hominem blasphemum, persecutorem, ac iurarum Christiani nomi-
 nis hostem, insanientem, minasque re ipsa spi-
 rantem, in vas electionis commutarit, ad ter-
 tium cælum rapuerit, & Apostolum, doctorem,
 fidei ac religionis reddiderit. Taceo Mariæ Ma-
 gdalenæ mirando modo vocatæ & conuersæ
 subsecutam PERFECTIIONEM, cæterorumque
 quos scriptura commemorat. Historiæ sacræ
 plenæ sunt: Monasteria sexus vtriusque, totus
 denique orbis plura exempla produceret, quã
 humana capere literisque mandare posset in-
 dustria. Tot vocati sunt ad PERFECTIIONIS
 gloriam, quot ad Religionis statum vocati:
 at horum quis subducet numerum? Sed & sæ-
 culares excludi non debent, qui sane subinde
 multis Religiosis de sanctitatis & PERFECTIIONIS
 laude nihil concedunt. Ne vero recentiores
 negligere videar, aliquot è multis illustriores
 hic attexam.

13. In initio Cisterciensis Ordinis, anno nimi-
 rum 1104. adolescens quidam Lugduni, & li-
 terarum & PERFECTIIONIS, cuius incredi-
 bili desiderio flagrabat, admodum studiosus

E qua-

Apostolorum

Maria Magdalena.

Vocationes recentiores

Vincent. in Specu. hist. lib 25. c. 106

1.
*Vincent. in
 specu. hist.
 lib. 25. cap.
 106.*

quadam nocte visionem ardētissimis suis votis congruentem habuit. In valle, vt sibi videbatur, constituto, accircumspicienti, primum occurrit fluius, qui arduum ac præruptum montem alluebat. Eleuans autem oculos, prospexit in eo monte ciuitatem tantis tamque variis ædificiorum, turrium, mœniumque ornamentis illustrem, vt illius aspectus oculos animumque intuentium raperet, teneret, videntem vero neuiquam satiaret. Subit & desiderium vrbis illius adeundæ, sed interiacebat ingens ille fluius. Quid ageret? dum traiectum animo versat, videt duodecim pauperes, in ripa fluminis, lauantes vestimenta sua: quos inter quidam splendidissima veste, aliisque multum dissimilis, ceteros in ablutione vestium iuuabat, & quidem vicissim vnum post alium. Lætus adolescens ad hunc accessit, Quinam, inquiens, estis vos? quid agitis? ecquænam ciuitas illa superior, quæ sua pulchritudine adeo oblectat oculos mentesque mortalium? Respondit ille: Hi pauperes, pœnitudine ducti, peccata sua eluunt, & ego Filius Dei, **J E S V S C H R I S T V S**, eis opem fero, sine cuius auxilio nec hi, nec alij, aut abluere, aut quidquam boni operari possunt. Ciuitas hæc pulchra, quam cernis, paradus est, in qua viuo & regno. Vbi vero quispiam vestes purgaerit, pœnitentiamque egerit, eum bene sperare iubeo: nam haud dubie in illam admittetur. Tu haftenus viam quæfisti: certo scias, præter hanc non esse aliam, quam hos pauperes sectari

sectari tenereque conspicis. His dictis visio disparuit, mirante iuvene, sed quid sibi vellet ignorante. Absoluto ergo studiorum cursu rediens in patriam, Episcopo Cabilonensi, sibi familiari, visionem enarrauit. Suasit ille, mundo nuntium remitteret, & Ordinem religiosum, vitæ in posterum degendæ, deligeret: præ ceteris tamen exorientem Cisterciensem familiam commendauit. Venit Cistercium, locum incultum, desertum, siluosum, commorationem denique hominum inter feras. Ianua Monasterij, sed dicam potius tugurioli, ex viminibus confecta erat: malleus ferreus appendebat, cuius sonitu ianitor compellabatur ab intrare volentibus. Aduenit ille pulsu euocatus, & caput demittens adolescentem salutauit. Hic ianitorem intuitus agnouit, memor se eum inter lauantes vestimenta sua vidisse. Iussus est Abbatem totumque Conuentum accedere. Hi ipsi erant, quos ad ripam fluminis viderat, omnesque admirabundus agnouit. Abbatris illico pedibus aduoluitur, perfususque lacrymis historiam narrat: & pro admissione obtinenda supplicans, voti compos factus est: qui breui tempore vsque adeo virtutibus auctus est, vt ad Prioris officium assumi sit meritus. Ad-

2. Vocatio recentior.

dam alterum, sed recentius, nostrique temporis. Ioannes Nunnus, Hispanus nobilis, ex Gufmanorum familia, à qua & D. Dominicus oriundus, is est, qui primus Patriarcha in Indiam destinatus à Pontifice Maximo, multis confectus laboribus, magnam suæ virtutis veræque

E 2

lan-

sanctitatis opinionem posteris reliquit. Cum ergo iuuenis anxius de vitæ genere deliberans, integro anno à B. Virgine postulasset sibi à Deo certam viuendi viam ac rationem indicari, quâ secure tenere sequique posset; apparuit dormienti Dei mater, augusta specie, comitata duobus Societatis IESV Patribus, nempe Petro Fabro, vno ex primis decem, & Francisco Strada; is est, qui, mortuo Baccalaureo Hosio, B. Ignatio è monte Cassino redeunti occurrit, à quo in locum Hosii in Societatem suscectus est. Insistenti ergo coram Nunno ardentius pro certo vitæ cursu cœlitus designando, intulit cœli Regina; *Vis seruire filio meo vsque ad defatigationem?* Cui Nunnus: Omnino, Domina. *Sequere ergo,* ait illa, *hos viros.* Ostendit vero illi comites suos, Patres Fabrum & Strada, ac disparuit. Nunus vero suspicatus est ex habitu viros illos esse Societatis IESV, sed sibi prorsus ignotos: nec Domina indicauit quo eos loco inueniret. Quare partim anxius, partim lætus cœlesti visitatione, reliquum suæ patronæ Virgini Matri commendauit. Contigit vero vt iter facienti duo Societatis Patres temere occurrerent, visoque habitu eos aggressus est: cumque de admissione mentionem intulisset, tum Pater Faber, *Vis, inquit, seruire Christo vsque ad defatigationem?* Qua interrogatione percussus, venit in mentem verborum Virginis Matri, quæ eisdem verbis vsa fuerat: *Vis seruire filio meo vsque ad defatigationem?* Ille, velut certam vocationis suæ testem reputans, oculos in vultum vtriusque defixit,

*Petrus
Massaus
in vita
B. Ignatij,
lib. Ignatij,
li. 2. c. 6.*

fixit, & eos agnoscens, procidit eis ad pedes, ob-
 testans vt se ad Societatem admitterent: narra-
 taque totius vocationis serie, admissus est sum-
 ma sua & Patrum consolatione. Haud absimile
 est, ac memoria dignissimum, quod P. Franci-
 scus Ribera scriptis consignauit de Catharina
 Godinez, nobilissima virgine: quæ cum, mun-
 di relictis illecebris atque honoribus, incredi-
 bili Religionis ineundæ desiderio æstua-
 re, in somnis videre se in via arctissima consti-
 tutam incedere, vtrunque præcipitiis formi-
 danda: dumq; horreret solitaria, Religiosus qui-
 dam occurrit ex improviso, habitum Ordinis
 Carmelitarum Discalceatorum gestans; qui
 blande inuitatam consolatus, perduxit in do-
 mum haud procul distitam. In ea Sanctimonia-
 les magno numero visebantur: nullumque illic
 lumen apparebat, præterquam cereorum quos
 singulæ gestabant manu. Catharina ex illis sci-
 scitatur, cuius Ordinis sint. Tacuerunt omnes:
 leuatoque velo, quo facies tegebantur, earum
 vultus læti hilaresque apparuerunt. Accepta
 Catharinæ manu Priorissa, Te, inquit, hodie,
 filia, in sociam nostram deligo. Regulasque om-
 nes & Constitutiones Ordinis eidem ostendit.
 Expergitur interea Catharina, tanto perfusa
 gaudio, ac si paradisi gaudiis interfuisset. Hanc
 visionem longo tempore silentio pressit: nec
 à quoquam, quæ esset illa Religio, cogno-
 scere potuit: Regulas tamen nonnullas, quas
 legerat, memoriæ causa scripto mandauit. In-
 tellexit postmodum ex quodam Patre Societa-

*In vita
 Matris Te-
 resa, lib. 3.
 ca. 3.*

„tis nostræ, illum Ordinem, quem depingebat,
 „esse Camelitarum Discalceatarum. Idcirco
 „quam primum Matrem Tereſam de ſua Mona-
 „ſterij exſtruendi reſolutione reddit certiorẽ;
 „eamque inuitat, quam citiſſime veniat. Occur-
 „rerunt interea grauiſſima impedimenta: & in-
 „ter cetera, cum Catharina in morbum periculo-
 „ſum incidiffet, nec ſpes vlla foret humanitus
 „illius ad Religionem admittendæ, fuſa oratione
 „tantam ſpem concepit, vt à Deo de ſanitate re-
 „ſponſum interne accepiffe videretur. Conua-
 „luit aſtutum: ſublatisque diuinitus impedi-
 „tis, Mater Tereſa aduenit, ſex alias Sorores in
 „nouam coloniã adducens. Aderat & laicus
 „quidam eiufdem Ordinis Frater, Ioannes à Mi-
 „ſeria. Catharina primo conſpectu agnouit So-
 „rores omnes illas, & ex eis illas eſſe aſſeuerauit,
 „quarum vultus ante annos viginti viderat in
 „ſomnis. Fratrem vero Ioannem eundem videri
 „Religioſum, qui è viarum anguſtiis ſe ad Mona-
 „ſterium Virginum deduxerat. Collatis ergo
 „facultatibus omnibus Catharina cum ſorore in-
 „fundationem Monafterij, admitti petiit magna
 „iſtantia, ſed in gradu Conueſarum. Admiſſa
 „eſt in gradu primario, ſed inuita: nec deſtitit à
 „proſecutione prioris gradus, donec Præſidiis ac-
 „ceſſiſſet auctoritas. Denique ſanctè admodum
 „vixit, ac Prioriſſa eiufdem Monafterii, quod
 „fundauerat, meritis plena ad beatorum domici-
 „lium commigrauit.
 „14. Quæcumque hætenus dicta ſunt, ſum-
 „mum diuinæ bonitatis erga PERFECTIONEM
 „homi-

hominis studium arguunt, quæ non tantum *1. Tim. 2.*
omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem ve-
ritatis venire, sed voluntatem eis suam sacris lit-
teris insinuat, imo internis aculeis incitat & hor-
tatur omnes vt simus perfecti, sicut & Pater noster *Matth. 5.*
cælestis perfectus est: & per Filium suum, Redem-
 ptorem nostrum, modum ac normam quan-
 dam inuexit, ac magistros idoneos constituit ad
 illam perdiscendam, posteritque tradendam,
 vocans innumeros interea, qui se excolendos
 magistris tradant: vt merito identidem fateri
 debeamus, *Deum vnicum esse PERFECTIIONIS au-*
ctorem.

C A P. VI.

Et si Dei perfecta sint opera, nihil tamen na-
sci perfectum, sed omnia accessione ac
profectu indige-
re.

Illa differentia est inter Deum & archite- *Dei & ar-*
 ctum, quod hic, cum opus excitare disponit, *chitecti*
 primum omnium ideam in mente concipit, ac *differentia*
 format: & eam quidem sæpe confusam indige- *in opere*
 stam, quam mutare & variare subinde *conficien-*
 gitur in operis progressu, quod omnes cir- *do.*
 cumstantias ac euentus mente complecti mi-
 nime possit. Opus ei est postmodum materiali-
 bus: & hæc aptantur tanto labore, vt sin-
 gulæ pæne particulæ plures operas & temporis